

prorsus est ratio, qua Servator in Textu vocatur Filius DEI, hic non tantum innumeris Scripturae oraculis *καὶ ἐξοχῶν* vocatur Filius DEI, nec ipsis etiam Diabolis hoc diffitentibus Matth. VIII, 29. Sed et ad eius filiationem a communi fidelium adoptione sollicitius distinguendum expressiora adhuc et magis discretiva adhibentur epitheta, quando scilicet vocatur Filius ex substantia Patris *hodie genitus* Ps. II, 7. *Filius Patris unigenitus*. Ioh. I, 14. 18. C. III, 16. 18. I Ioh. IV, 9. *Filius DEI vivi* Matt. XVI, 18. Ioh. VI, 69. *Filius DEI proprius* Rom. VIII, 32. *qui eadem operatur, quae Pater*, Ioh. V, 17. 19. *eodem, quo Pater, honore afficiendus* ψ. 23. vitam habens in semetipso, perinde ac Pater, ψ. 26. electus DEI, quem benigne accepit anima eius Es. XLII, 1.

§. VII.

Haec insignia Scripturae oracula ut eludant *Sociniani*, (qui *Laelio, Mariani* I Cti. Filio Senis 1525. et *Fausto, Laelii* ex Fratris Alexandro Nepote 1539. nato, Socinis nomen et sectam debent. vid. B. D. *Mayeri* Sociniani Histor. Gryphisvald. 1708.) ipsam Filii DEI a Patre generationem in tanta dictorum apertitate negare non ausi, in sensum prorsus alienum eandem pervertere detorquent, & DEUM Patrem non proprie, non ab aeterno, non per communicationem essentiae diuinae, sed modo plane improprio filium hunc generasse contendunt. Videlicet, *quod Christus per decretum DEI et augurationem in regnum Filius DEI factus et a DEO genitus sit, et hanc ipsam inaugurationem nil aliud esse, quam quod DEUS ipsum Filium suum effecerit et genuerit.* Socinianorum tibus heic inflavit e recentioribus *Hermannus Alexander Röel*, tunc Professor Theologiae Franekeranus, scripsit namque hic breues Theses de Generatione Filii DEI et morte fidelium temporali, in quibus inter alia dixit: Secundam Deitatis personam vocari improprie filium, generationem eius esse impropriam, nihilque aliud vocibus

cibus